



XI. 1<sup>8</sup> Q.

(cat. 4, 22-33<sup>b</sup>)

*De Luminibus Ordinis I<sup>c</sup>torum Lipsiens.*

18


# PRO-CANCELLARIUS D.CHRISTOPH DONDORFF

FACVLTATIS IV RIDICAE LIPSIENSIS SENIOR  
CVRIA PROVINC. IN INFERIORI LVSAT.  
ASSESSOR

PROMOTIONEM  
DOCTORALEM  
SEPTEMBER  
JVRIS VTRIVSQVE  
LICENTIANDORVM  
INDICAT  
ET  
AD EANDEM D. IV. DECEMBR. AN. MDCCXXVIL  
CELEBRANDAM  
LECTOREM BENEVOLVM  
EA, QVA PAR EST,  
ANIMI CONTESTATIONE  
INVITAT. 1727

PRO CANCELLARIAS  
CHRISTOPH DONDORFF  
HONORIS IMPERIALE IMPERIALE SENIOR  
CAROLAE REGIÆ IN TITULIS LAST  
ASSISTEBOR

PRO MOTIONEM  
DOCTORALIUM  
SPPTEM  
VARIS ATRIASAE  
LICENTIANDORVM  
INDICAT  
TECOTORVM PRACTICVM  
ANIMI CONSERVATIONE  
INITIAT



Nnus iam voluitur decimus octauus, quo Academia Philurina Natalem, et seculare Festum inter tot Iubila, applausus, acclamations et gaudia celebrabat, quo tempore insimul Facultas nostra, Promotionem Doctoralem, Pro-Cancellarii fasces te[n]ente, excellentissimo L[VR] DERO MENCKENIO, ICto omnibus ab[s]oluto numeris, Antecessore Primario, Ordinario longe grauissimo, felici cum successu solennissime instituebat. Qua occasione, cum in Programma, quo antea laudatus ICtus Promotionis Doctoralis actum intimauerat, incidisset, non absque summa animi delectatione, prima statim facie deprehendi, Virum hunc illustrem inter Academiae seculares plausus, eorum, qui pro Iustitia in salutem multorum omnes impenderunt vigilias curasque, memoriam post fata duraturam, delineantem, ac imprimis duos hosce Viros BARTHOLOMAEVM / LEONHARDVM SWEN-

A 2

DEN-

DENDOERFFERVM et AVGVSTVM BENEDI-  
CTVM CARPZOIVM, exemplariorum instar viuis  
repraesentantem imaginibus, vt et inter alios celeberrimi-  
orum ROMANORVM, BORNIORVM, SCHA-  
CHERORVM, quorum follicitudo et meritis, Fa-  
cultatis nostrae gloria per omnes ferme terrae plagas ex-  
pansa est, mentionem facientem honorifice. Verum  
enim vero tristi fato, mortisque truculentia, quamuis ipse beatus Ordinarius Facultati nostrae eruptus, amoena tamen illuxit dies, quo ante annos octodecim se-  
cularia celebravit Academia, atque ab omnibus Facultati-  
bus diebus insequentibus, Promotionum instituta sunt so-  
lennia. Nunc de eadem felicitate nostra gloriari potest  
Facultas, vt nimirum et hoc tempore et eodem fere die,  
per immensam Dei omnipotentis gratiam, solennem sibi  
intimare Promotionem concessum sit, tempore licet, pro-  
pter obitum Reginae nostrae Potentissimae Pientissimae-  
que luftuoso multumque perturbato, ubi omnium subdi-  
torum moestissimo inuolutorum poplo corda, non secus  
ac vuulae, tempestatis impetus, cum vitem percuttis viri-  
dantem, ad terram passim prostratae atque proiectae, nil  
nisi eiulationes et suspiria emittunt. Me proinde auda-  
ciae cuiusdam haud accusari censeo, si tanti Viri memo-  
riam impari quanquam cultu recolerem, eiusque aeterniti-  
ati iamdudum dicatum nomen nouis extollerem praeco-  
niis, nisi me media die Soli lucem accendere velle vide-  
rer: Praesertim cum illustris Excellentiae, Viri et ICi  
MICHAELIS HENRICI GRIBNERI, Potentissimi  
Poloniarum Regis et Electoris Saxoniae Confiliarii aulici,  
ac Facultatis nostrae Ordinarii grauissimi, Oratio, qua bea-  
ti Parentis, cui summa cum gloria successit, parentauit  
manibus, omnium instar esse possit, quanta cum cultura,  
quantisque Excellentissimi MENCKENII memoria

pro-

prosequenda encomiis, ideo modesta tranquillitate mihi potius erit acquiescendum. Nihilo tamen secius liberum mihi esse arbitror, decenti quadam recordatione, eorum, qui intra hoc temporis spatium cupidae legum iuuentuti solide ac indefessa cum industria, Iura proponere, Facultatis gloriam omni modo promouere, atque immortalitatis laudem, saluberrimis consiliis apud omnes sibi comparare, magno contenderunt studio, mentionem facere, et cuius demonstrare, quam praeclaris Facultas nostra superbierit Viris. Hos inter referre mihi impraesentiarum liceat Excellentissimos, Magnificos, Iure Consultissimos Dominum ENGELBERTVM von der Burg, Summi Appellationum iudicij Consilia-rium et Facultatis Seniorem, HENRICVM MYLIVM, ICtum itidemque Consiliarium in Appellationum Dyca-sterio, Facultatis Assessorem atque Scabinatus Seniorem, Excellentissimum IOH. CHRISTOPHORVM SCHACHERVM, ICtum exquisitissimum Canonicum Martisburgensem, Professorem Codicis publicum atque Facultatis supremaeque curiae provincialis Assessorem, OLEARIVM ICtum, Canonicum pariter Martisburgensem, Codicis Professorem et Facultatis Assessorem, et quem non ultimo loco nominasse fas fuisse, consumatissimum ICtum DN. GOTTLIEB GERHARDVM TITIVM, quorum omnium monumenta et scripta orbi eruditio relicta, testimonia nobis esse possunt certissima, quam ingenti studio et cura communis inferuire bono allaborauerint, et quorum memoriam nulla vñquam temporis delebit iniuria. Et hac in parte me errorem haud commisisse arbitror, cum constet, Candidatos nostros, Maiorum de Republica optime meritorum gloria, superbire non tantum, et Iure quasi hereditario aemulatores tantorum virorum existere, sed et vreorum memoria, quorum

consilio, ope, patrocinio frui ipsis licuit, honorifice recolatur, in votis habeant, quod eo facilius expediri potest, si singulorum vitas studiorumque cursum breuibus exponamus. In genere autem de iis haec praedicanda felicitas, quod sex prioribus contigerit Lipsiam, bonarum artium, scientiarum, commerciorum aliam matrem, totius Europae delicium, patriam agnoscere, quae et septimo, si au tam spectes originem, pari modo adscribenda. Primus igitur in ordine,

## GEORGIVS CHRISTO- PHORVS PLAZ,

natus Lipsiae d. III. Aprilis, anno M DCC V. Pa-  
tre gaudet Viro illustris Excellentiae, Magnifico A-  
BRAHAMO CHRISTOPHORO PLA-  
ZIO, Haereditario in Mockau, Althen et Ploesen,  
ICto incomparabili, summi Proutocationum Iudicij Con-  
filiario, vnicae supremae Curiae provincialis, quae Lipsiae  
floret, Assessore, Scabinatus Seniore et ciuitatis huius  
Consule meritissimo, matrem autem praedicat foemi-  
nam Praenobilissimam omni laude dignissimam, AN-  
NAM MAGDALENAM, summi et per totum rei  
literariae orbem famigeratissimi ICti, BARTHOLO-  
MÆI LEONHARDI SWENDENDOERFFERI  
filiam, GEORGII TOBIAE SWENDENDOERF-  
FERI, Facultatis quondam Ordinarii Magnifici neptem,  
Auium paternum nominat DN. CHRISTOPHORVM  
PLAZIVM, mercatorem ingenuum, Auiam paternæ li-  
neæ præclarissimam, et in nostris pomeris, ex celeberrima  
TELLERIORVM gente, maternaæ lineæ foeminam  
ex BERINGERIA familia ortam. Ab incunte statim  
aeta-

aetate pietatis prima fundamenta, mirae matris beatissimae sollicitudini debet atque curae, quam, immatura eretam morte, cum vix octauum attigisset annum, deplorat, quam in educando hoc filio vigilantiam postea crescentibus annis, cum Dominus Parens ad secunda vota transiens, e celeberrima **PACKBVSCHIANA** gente Sociam sibi iunxit, adeo laudabiliter continuavit mater, vt non nouercam eam, sed matrem genuinam agnoscat et veneretur: Literarum autem fundamenta attribuit dexteritati Domini **NEHRINGII** et **SEIDELII** Confiliarii Zürbigensis, postea vero, stimulante indeole Viris praeclarissimis celeberrimisque traditus, Domini **M. HEBENSTREIT**, Scholae Thomanae Con-Rectoris meritissimi informationi cumprimis per decennium interfuit, sub cuius Praefidio dein e cathedra Philosophica, disputationem de differendo impoenitentis supplicio cum laude defendit, cui instructioni quoque strenue adstiterunt celeberrimi Viri **DN. L. CRELL.** P. P. et ad Scholam Nicolaitanam Rector, **DN. M. PEZOLD.** Lycei Thomani Collega tertius, quorum exercitiis oratoriis, disputationiis et Philosophicis per trienium diligenter usus est, imo, vt eo magis studio præparetur iuridico, sub excellentissimo **DN. D. SCHVBERTHO**, collegium ad **PVFENDORFFII** libellum, de officio hominis et **Civis**, nec minus ductu per quam reuerendi **DN. M. RABNERI**, oratoria magna cum attentione frequentauit exercitia, quo factum, vt tres orationes solennes, vnam Festo Pentecostes, reliquas vero in memoriam Perillustris **BORNII** solide habuerit; Albo autem postea Studiosorum sub Rectoratu Magnifici **HOFFMANNI** adductus, iuri addiscendo se se mancipauit, et Collegia sub laudato **SCHVBERTHO** continuauit, cumprimis vero Magnifici **MENCKENII** informatione priuata usus, sub utroque

que theses e Gymnasio eius Polemico sumtas pluribus vici-  
bus masculine defendit: Ast hoc minime sibi acquiescen-  
dum edocet, aliorum celeberrimorum Doctorum Scho-  
las frēquentauit; ita ex ore excellentissimi DN. D. BAV-  
DISII Praetoris grauissimi, doctrinam Pandectarum et  
BERGERI Oeconomiam Iuris, Iuris publici et Imperii  
Romani notitiam autem a D. MASCOVIO, Ius Feudale  
a D. BAVERO, et lectiones denique in Pandectas et Iu-  
risprudentiam a D. GEBAVERO cupide percepit.  
Nec sine fructu; siquidem, sub vltimi Doctoris, scilicet  
GEBAVERI praefidio, de Iure reluendi per generalem  
Consensum simultanee inuestitis, in alienationem feudi  
extincto, laudabile eruditionis specimen exhibuit. Nec  
minorem laudem adscribit Viro excellentissimo et Con-  
sultissimo D. IOHANNI FLORENTI RIVINO  
P. P. Collegae nostro maxime aestumando, a quo ea  
omnia, quae Praxi, forensibusque inferuire possunt Con-  
sultationibus se haufisse gloriatur. Cum vero cur-  
sum Iuris, summa cum industria absoluisset, ad altiora  
properandum non dubitauit; quare nostram adiit Facul-  
tatem, et vt ad examina et lectiones admitteretur, mode-  
ste petiit, cuius honestis desideriis neutiquam decesse po-  
tuit; Ad examina igitur admissus, solida textuum resolu-  
tione, promptaque et conuenienti ad quaestiones propo-  
fitas responsione, verum se paternarum et auitarum virtu-  
tum non aemulatorem, sed heredem esse satis superque  
ostendit, antea vero quam Disputationem inaugurelam  
edidit, animi dotes explorare tentans, speciali concessio-  
ne, vt Disputationem sat eruditie conscriptam, fine Praefi-  
de in auditorio Petrino, de Religione sepulchrorum  
tueretur, a Regio Splendore impetravit, vti et postea  
eodem cum applausu disputationem pariter inaugurelam,  
de sectione et inspectione cadaueris in homicidio forti-

sup

ter

ter defendit. Imo, quod non sicco praetereundum pe-  
de, eruditio huius Candidati eo se se extendebat, ut iam  
Senatoriali Ordini Lipsiensi adscriptus, illustre hoc Colle-  
gium sibi de tali Viro, cuius prudentia et dexteritate in  
rebus ipsis credendis magno cum emolumento frui poterit,  
gratuletur merito et applaudat. Secundus

## M. ADRIAN STEGERVS,

Lipiae d. XXVIII. Decembris An. M D CC VII. na-  
natus, Patrem nactus est Virum Excellentissimum, Ma-  
gnificum, Consultissimum DN. ADRIANVM STE-  
GERVM, ICtum egregium, Sacrae Caesareae Maiesta-  
tis Comitem Palatinum, Potentissimi Regis Poloniarum  
et Electoris Saxonie Confiliarium aulicum, Patriae Ciui-  
tatis Consulem hoc tempore fasces Consulares tenentem et  
ad ecclesiam D. Petro dictam Antistiti munus summa cum  
dexteritate et vigilantia tuentem, Auum vero Paternum,  
Virum de Civitate hac optime meritum DN. ADRI-  
ANVM STEGERVM, Consulem grauissimum,  
cuius literarum et linguarum exoticarum exactam cogni-  
tionem, elegantemque facundiam ostendunt Ora-  
tiones, quas in Consulatibus, Comitiis, ceterisque  
actibus solennibus recitauit, loquuntur scripta eius erudi-  
ta, quae inter *Moysis Amyraldi Tract. de diuersitate*  
*Religionis et Jean d'Espagne de Religionis Christianae*  
erroribus ex gallico idiomate in vernaculam sunt translata  
linguam, aliaque. Matrem vero beatam atque lectissimam  
IVLIANAM SVSANNAM veneratur Viri Magni-  
fici, Excellentissimi, DN. D. QVIRINI HARTMAN-  
NI SCHACHERI Consulis et Scabinatus Acessoris  
grauissimi. Magnifici itidem DN. IOHANNIS FRI-  
DERICI FALCKNERI, ICti et Confiliarii Regii

B

neptem.

neptem. Ab incunabilis statim optimi Parentis cura ea  
fuit, vt filius pietate ceterisque iuuentuti conuenientibus  
imbueretur virtutibus, quare ipsi vnico Magistros elegit  
selectissimos, quos inter refero DN. M. O' TONEM,  
Lycei Arnstadiensis iam Rectorem, Styli et latinitatis  
principia tradentem, cuius studio multum se debere in-  
genue fatetur; Hunc exceptit DN. M. HOLZAPFEL  
Ecclesiae Numburg. Diaconus, cui progredientibus annis  
successit, DN. M. HEINSII, Concionatoris Forstensis  
aulici cura, quae ipsi viam ad altiora stravit studia. Optimis  
itaque literarum instructus scientiis, DN. D. CONRADI  
manuductione Philosophiae principia et Iuris praecogni-  
tafibi imprimere studuit, quibus perceptis, DN. Lic.  
CRELLI P. P. meritissimi, eiusque filii M. CRELLII,  
DN. HAVSENII, Mathem. Prof. Publ. D. MEN-  
CKENII P. P. D. FRANCKENSTEINII, D. OLE-  
ARII. DN. POLYCARPI MULLERI, Gymnasii Zittauiensis Directoris. DN. M. LOEDERI. DN. Lic.  
IENICHII P. P. Collegia, quae Historiam, Mathefin,  
Ius Nat. et intimioris Philosophiae partes concernunt,  
eo feliciori cum successu pertractare valuit: Imo labores  
istosnon fuisse inanes specimina testantur, quibus primo ad-  
numero Disputationem e cathedra Philosphorum, quam  
Baccalaureus Philosophiae, super certas theses, Praefide  
Pl. Reu. DN. L. IENICHO antea nominato, de eo quod  
iustum est, circa iocos et facetias habuit, testatur ipsa digni-  
tas Magisterii, qua An. M D C C X X V. ornatus dispu-  
tatione solenni de Domitio Vlpiano dignitatem hanc il-  
lustrauit, quibus addere licet Orationem, quam Pentecos-  
tes Festo, in Templo Paulino, et alteram, quam in me-  
moriā Summi BÖRNII, magna cum approbatione ha-  
buit. Iuris Doctores autem pari modo excellentissimos  
propitia eidem fortuna concessit, vt scilicet docente  
DN.

BN. D. DVNCKLERO, MASCOVIO, BAVERO,  
GEBAVERO et KVNHOLDO, P.P. et Collega nostro  
maxime colendo, solidam in Iure scientiam, ex Colle-  
giis in Institutiones, Pandectas, STRVII Iurisprude-  
tiam, Jus Publicum, Canonicum et Feudale ab iis ha-  
bitis, haurire ex voto potuerit. Quantam vero indu-  
striam in frequendandis hisce collegiis praestiterit, ex  
eo licet colligere, quod super theses Collegii Polemici  
MENCKENIANI, nec non de Palmario Aduocatis  
promisso, Praeside praelaudato KVNHOLDO, strenue  
differuerit. Positis igitur gloriofis hisce fundamentis,  
Facultati nostrae literis intentionem declarauit suam, ut  
scil. ad lectiones Candidatis competentes et examina ad-  
mitteretur rigorofa, in quibus tori ordini nostro exaffe  
satisfecit, quod et Disputatione sua inaugurali de pacto  
de non petendo egregie defensa approbavit, publicisque  
confirmauit lectionibus. Tertium nunc adeo,

## CHRISTIANVM GOTHO- FREDVM SCHMIDIVM,

qui die VII. Maii anno M DCC IV. in lucem pro-  
diit, patre IOHANNE HENRICO SCHMIDIO,  
mercatore primario, imo quod magis dictum mallem,  
integerimae fidei Viro, Matre foemina sexu sequiori  
condignis virtutibus exornata, IOHANNA SVSAN-  
NA, filia DN. ARNOLDI ROSENFELDII, merca-  
toris etiam post fata felicissimi, WINCKLERIANA  
HENRICI scil. Senioris Senatoris et Aedilis pruden-  
tissimi nepte, Auia REGINA, IOHANNIS  
POLZENDERI, mercatoris integerim filia. Pri-  
ma humaniorum literarum rudimenta Domino AN-  
DREAE BVTENIO, vltiorem vero in histo-  
ricis

ricis aliquaque disciplinis progressum debet WILHELMO ILMANNO, cuius cura et industria instru-  
ctus, sublimiora in Academis proseguivit studia: Post-  
quam enim Anno MDCC XXI. nomen Rectori  
tunc temporis Magnifico, D. KLAVSINGIO, Theol.  
P. P. Excellentissimo, dederat, statim animum studio  
Philosophico applicans, viros fibi elegit Excellentissimos,  
DN. scilicet D. GEORGIVM PHILIPPVM OLE-  
ARIVM, P. P. DN. FRIDERICVM MENZIVM,  
P. P. POLYCARPVVM MULLERVM, per quam Re-  
uerendum RABNERVM, et tandem L. IENICHIVM  
P. P. quorum Doctrinis solide perceptis, exercitiis tum  
Oratoriis, tum disputatoriis aliquaque genuinam Philosophi-  
am sapientibus collegii animum ita firmavit suum, ut  
paulo post dissertationem eleganter conscriptam, sub Prae-  
fido M. ILMANNI, de Torneamentis cumpromis  
Germanicis fortiter defenderet. Cum autem se Iuris stu-  
dio mancipatum sentiret, et Iuris publici et priuati, Cano-  
nici et Feudalis Doctores Illustres Excellentissimos,  
Consultissimosque, beatum MENCKENIVM, BAV-  
DISIVM, SCHVBERTVM, RIVINVM, MASCO-  
VIVM, FREISLEBIVM, BAVERVM et GEBAVE-  
RVM, indefessa cum attentione audiuit, siquidem et il-  
lustris GRIBNERI nostri Collegii interfuisse gloriatur.  
Quapropter praeter eas, quas super Collegium Polemi-  
cum plus simplici vice habuit, dissertationes, ea cumpri-  
mis sub D. GOTTFLIEB SIGELIO de Creditoribus  
Societatis, priuatis socii Creditoribus non praferendis,  
propugnata certissimum eruditionis perhibet testimoniu-  
m. His itaque peractis, nomen suum nostrae professus  
Facultati, et ut illi aditus ad summos honores obtinendos  
concederetur, debito modo petuit; Cumque in lectioni-  
bus et examinibus, quae ab eo expectari poterant, egregie  
se

se praestiterit, disputationem inauguralem de stupro in  
mente captam commisso, suo satisfecit cum laude munere  
ri. Nunc transire licet ad

## FRANCISCVM WILHELMVM ROMANVM,

Lipsiensem, qui lucem hanc adspexit d. XIII. April.  
M D C C I I I . Patre Illustri et Excellentissimo DN,  
FRANCISCO CONRADO ROMANO, Potentissimi  
Regis nostri Confiliario intimo, et Consule huius Ciuitatis  
spectatissimo, abnepote quondam Magnifici et ante Se-  
culum Ordinarii nostri FRANCISCI ROMANI, ex quo  
et ad nostra usque tempora ROMANORVM in Facultate  
floruere nomina, et adhuc florent. Matrem agnoscat ma-  
tronam Praenobilissimam, omniibus abundantem virtuti-  
bus, CHRISTIANAM MARIAM, natu BRVMME-  
RIAM ex WINCKLERIANA descendentem familie.  
Prima aetatis prosectoris cura, Praecellenti et Praeclaris-  
simi DN. M. PEZOLDO, Viro instruendae iuuenturi  
nato, concredita, quam tam exoptato cum fructu ini-  
pendit, ut non satis laudibus eam extollere valeat Candidatus  
noster, quaque ratione tam fideli ductori gratissimam con-  
testetur mentem, vix ignoret. Cum autem Anno  
MDCCXX. Noster sub Rectoratu Excellentissimi IV-  
NII, Mathei P. P. immatriculatus esset, statim ad altiora  
suum applicauit animum. Collegia proinde Philosophi-  
ca D. MULLERI et RUDIGERI frequentauit, Orato-  
riam magis magisque excoluit sub plur. Rener. RABNE-  
RO, Historiam Imp. Rom. Germ. incomparabili debet  
MASCOVIO. Iurisprudentiae solidiorem scientiam sibi  
comparare intendens, omnium praelaudatorum Exellen-  
tissimorum Doctorum, siue illustrem GRIBNERVM,

siue SCHVBERTVM, RIVINVM, BAVDISIVM,  
DVNCKLERVM, MASCOVIVM, BAKERVM,  
siue GEBAVERVM appelles, tanta cum felicitate fre-  
quentauit, ut et facundissimus, binis vicibus, memoriam  
illustris BORNII recolendo, Orator, et subtilis existe-  
ret Disputator, quod ultimum, Disputatio sub DN. D.  
GEBAVERO habita, de eo, quod in Iure nostro vacuum  
dici potest, satis abunde confirmat. Neque hic omitten-  
dum, quod Candidato nostro, Praenobilissimi, Consultissimi  
et Excellentissimi Domini D. CAROLI FRIDE-  
RICI ROMANI, Facultatis nostraræ Assessòris, et Prae-  
toris grauissimi, paterna consilia, curam, et diligentiam,  
mediantibus quibus, feliciores studiorum suorum facere  
potuit progressus, omni pietatis et honoris cultu prosequi  
atque venerari contingat felicitas. Quibus summo cum  
emolumento absolutis, a Facultate nostra ad examina et  
lectiones admissus, profundam in Iure Ipsique quasi connata-  
m, ex genuina aptaque eius responsione comprehendimus  
eruditioñem, quod et satis artificiose elaborata eius differ-  
tatio inauguralis, de artificio omnes in Praxi casus rite  
enodandi ope Contractuum innominatorum demonstrat.  
Sed deueniendum nunc erit ad

## DN. M. AVGVSTVM FLO- RENTEM RIVINVM,

vitam qui natus Lipsiae, d. XXXI. Januar. anno  
M DCC VII. Parentem veneratur Excellentissimum,  
Consultissimum D. IOHANNEM FLORENTEM  
RIVINVM, Canon. Numburgensem, Pandect. P. P. et  
Facultatis nostraræ Collegam honoratissimum. Matrem  
vero Praenobilissimam, et sui sexus virtutibus omnem  
laudem superantibus praeditam CLARAM ELI-  
SABE.

SABETHAM, natu RIVINIANAM. Aius Pater-  
nus erat, vir illustris et excellentissimus ICtus,  
QVIN TVS SEPTIMI VS FLORENS RI-  
VINVS, cuius eruditissima scripta, vniuerso Iuris-  
peritorum Ordini maxime inseruiunt, Summi Appella-  
tionum Iudicij Consiliarius, Scabinatus Liphensis  
Adfessor et Consul grauissimus. A teneris iam an-  
nis cura DN. KOCHII, M. MOERLINI, M. MAR-  
CI et M. FVNCKII solidam sibi optimarum literarum  
acquisiuit notitiam, vnde sub Rectoratu Magnif. HOFF-  
MANNI anno M DCC XXIII. ciuium Academicorum  
numero adscriptus, Philosophicis vt imbueretur  
scientiis, amplissimorum virorum, D. scilicet PHI-  
LIPPI OLEARII, D. ANDREAE RIVINI, D.  
RVDIGERI, L. CRELLII, P.P. et M. IOECHERI  
scholis, auditor extitit assiduus, vnde an. M DCC XXIV.  
Lauream Magisterialem, summo cum applausu, repor-  
tauit, quam dignitatem solenni disputatione, de In-  
terpretatione Philosophica, eiusque in societatis mate-  
ria utilitate optime illustrauit. Et vt dulcius ex ipso  
fonte bibuntur aquae; ita ex ore Excellentissimi, in-  
dulgentissimi fidelissimique Parentis, dulcissima soli-  
diffissimaque, quae modo in Iure possunt occurrere ex-  
plicanda, haurire ipsi contigit principia, quibus et alio-  
rum celeberrimorum virorum, BAVDISII, MASCO-  
VII, RECHENBERGERI doctrinam iungere sum-  
mo allaborauit studio, imprimis autem fidelita-  
tem multamque industriam, Excellentissimi DN. D.  
GOT'TLOB RIVINI, a cuius ore totus pendebat,  
multis depraedat encomiis. Et vt ostenderet, quan-  
tos, Praefide iam laudato Parente, de iureiurando in  
alterius animam pro Loco in Facultate disputante,  
fructus decerpserit, Respondentis vices masculine de-  
fendit,

fendit, quo factum, ut eiusdem precibus, quibus adi-  
tum ad vteriores honorum gradus exorabat, eo faci-  
lius annueret Facultas. Habitis itaque Lectionibus,  
institutisque more consueto examinibus, paternae erudi-  
tionis verum fese praestitit aemulatorem, eiusque ho-  
nesti desiderii et voti, vnanimi consensu et applausu,  
ut proxime instanti Promotione, exhibita prius Di-  
sputatione, de poena Gladii, inaugurali, compos redi-  
tatur, decreuit, in qua ita se exhibuit, ut omnium,  
qui interfuerunt isti, sibi admirationem conciliauerit. Sex-  
tus in Ordine.

## M. IOHANNES BALTHA- SAR FABER,

Lipsiensis, qui lueem adspexit, d. VI. Septembr. Anno  
MDCCVI. Patrem habet DN. BALTHASAR FA-  
BRVM, mercatorem primarium, Virum ingenuum et  
antiquo candore fulgentem, matrem honoratissimam  
CHRISTIANAM natam KÜSTNERIANAM, pru-  
dentissimi florentissimique Domini IOHANNIS PHI-  
LIPPI KÜSTNERI, Senatoris et Aedilis apud nos ce-  
leberrimi, filiam. Optimi Parentes, nostrum a primis an-  
nis, pietate, bonisque curarunt educari literis, ita, ut pri-  
mo priuatorum Praeceptorum, postea autem non satis lau-  
dandi Domini M. PEZOLDI, fidelissimae instructioni  
eum crediderint, cuius fidem etiam in erudiendo hoc no-  
stro Candidato, tanta cum diligentia coniunxit, ut sum-  
ma cum laude Academicam vitam aggredi valuerit: Qua-  
re An. MDCCXXIV. in numerum Studiosorum, Re-  
ctori excellentissimo et experientissimo D. MICHAELI  
ERNESTO ETTMULLERO, P. P. receptus, Philo-  
sophicis suum dare coepit animum, quae tanta alacritate  
*liber*  
ductu

ductu Virorum egregiorum, quos inter saltim DN. D.  
MVLLERVM nominasse sufficiat, tractauit, vt Anno  
MDCCXXV. de interpretatione Philosophica, sub mo-  
deramine DN. M. AVGVSTI FLORENTIS RI-  
VINI ex voto differuerit. In Iurisprudentiae autem  
studio totum sese consecravit dexteritati supra memo-  
rari. Excellentissimi IOH. FLORENTIS RIVINI,  
nec minus beati atque illustris MENCKENII priua-  
tissima defungi informatione ipsi licuisse gaudio sibi du-  
cit ingenti, cuius sub Praefidio in Gymnasio Polemico  
publice suas ostendit vires, cui adnumerari quoque me-  
retur dissertatio, sub Excellentissimi RIVINI Patrocinio,  
Anno MDCCXXVI. de conscensione thalami erudite  
admodum ventilata; cum primis haud minorem inde si-  
bi subnasci autumat honorem Candidatus noster, quod  
Iuris publici explicationem, ex illustris GRIBNERI  
nostris Scholis perdiscere ipsi fuerit indulatum. Cum  
itaque eadem cum laude iuridicum hocce studium ad  
exoptatum perduxisset exitum, Facultati nostrae, signi-  
ficauit literis, vt in numerum Candidatorum referretur,  
ipsique Doctoralis dignitatis aperiretur via; cuius peti-  
tis annuente Facultate, lectionibusque et examinibus  
cum nostro habitis, indefessam eius industriam, aptam-  
que textuum resolutionem et responsionem omni lau-  
dum genere efferendam censuit. Nec incassum: quippe  
Disputatio inauguralis, de eo, quod iustum est circa  
Fabros ferrarios, quam sine Praefide, prout moris  
est, masculine tuebatur, omni exceptione maior esse pot-  
est testis. Tandem Septimus

C

M. CHRI-

# M. CHRISTIANVS HEN- RICVS DREWERVS,

producendus in medium. Ortum quidem hic debet Regiae ciuitati Dresdae , vbi anno MDCCXI natus , Patrem veneratur. Virum illustris Excellentiae DN. CHRISTIANVM HENRICVM DREWERTVM, Potentissimi Poloniarum Regis et Electoris Saxoniae ab Aulae et Iustitiae, rerumque metallicarum consiliis, Matrem vero Praenobilissimam SOPHIAM ELISABETHAM, Viri quondam Praenobilissimi ANDREAE FRITSCHII, supremi Steurarum Aerarii Praefecti primariae filiam. Et ne Auum paternum, cuius memoria adhuc floret, silentio praeteream, erat Vir Praenobilissimus, Consultissimus D. VVOLFFGANG HEINRICVS DREVVER, Praetor, et tandem Aedilis, Ordinis Senatorii Lipsiensis grauissimus; ex quo apparet inter Candidatos nostros exactam, si patriam spectes, intercedere cognationem. Industriae igitur domesticorum Magistrorum prima aetate traditus hic noster, et pietatis et literarum fundamenta, mediante eorundem fideli instructione, aude arripuit, habilis dein redditus, Anno MDCCXXI, in Academiam VVitterbergensem se contulit, ibique absqueulla temporis iactura, philosophicis incubuit studiis, cuius doctrinae celeberrimos Viros, IOHANNEM GVILIELMVM BERGERVM, STRVNZIVM, LOESCHERVM, HASSIVM, VVEIDLERYM, magno cum fructu audiuit. Iuris autem studium cu[m] sibi elegisset, Excellentissimi ICti VVERNERI, BASTINELLERI, MENCKENII, SPENERI, KRAVSII que curae ac informationi

tioni fese creditit, ex quibus a KRAVSIO non tam hospitio, quam insigni benevolentia exceptus, et KEMERICHO, BRENDELIO, VVOLFFIO, ICIS famigeratissimi, plurima debere confitetur. Ast posthac, vt illustris GRIEBNERI nostri benevolentiae particeps fieret, hanc in Academiam, anteriori anno fefè contulit, nomenque Rectori tunc temporis Magnifico Excellentissimo D. LEHMANNO P. P. dedit, postea Philosophiae gradum, proxima Magisterii Promotione adsumpsit, et sub tutamine illustris GRIBNERI nostri priorem de Iure territorii subordinati Dissertationem malecule defendit. Quibus peractis, Facultatem precibus adiit decentibus, vt ad examen et lectiones consuetas admitteretur, quibus unicuique nostrum ita satisfecit, vt cum applausu, ipsi summi honores conferri queant; propediem inauguralem disputationem, alteram de Iure territorii subordinati habiturus, licet hisce diebus, cum laude praesidendo e Cathedra Philosophica disputationem de aquitate circa periculum rei venditae defenderit.

Ex his itaque, quae de vitae, morum studiorumque cursu, quem Candidati nostri tam egregie et haud interrupta serie instituerunt, notauiimus, facile poterit colligi, nil amplius, quod honoribus moram necesse posset Doctoribus, superesse, quibus condecorandos esse nostros Ius aequitasque postulat. Ideo ex mandato  
*Reuerendissimi Principis ac Domini,  
DOMINI MAVRITII  
WILHELMI, Ducis Saxoniae, Iuliae, Cliviae ac Montium, vt*  
C 2 et

*et Angriae et Westphaliae, Episcopatus Martisburgensis Postulati Administratoris, Landgrafii Thuringiae, Margrafii Misniae, ac utriusque Lusatiae, Comitis Principali dignitate Hennebergici, Comitis de Marca et Rauensberg, Dynastae in Rauenstein, Nutritii ac Cancellarii huius Academiae perpetui etc. Domini mei Clementissimi,*  
Pro-Cancellarii munus gratosissime concessum gerens, proximo die Iouis, qui erit quartus Decembris, iisdem in Templo Academico Paulino Licentiam ad altiorem Doctoris gradum tribuam, et de priuilegiis et Iuribus utriusque Iuris Doctoribus competentibus, vt solenni ritu inuestiantur, efficiam; Qui actus, vt maiori splendore peragatur, Rectorem Academiae Magnificum, Comites Illustrissimos, utriusque Reipublicae Proceres, vna cum Generosissimis Nobilissimisque Studiosis, vt sua exoptatissima praesentia beare hanc Panegyri ne dedignantur, ea, qua decet obseruantia et animi contestatione exoro. Omnia, quae excogitari possunt officia, pro hac benevolentia, me vobis consecraturum polliceor. P.P. Lipsiac Dom. Aduent. I. d.XXX. Nouembr. MDCCXXVII.

---

LITERIS IMMANVELIS TITII.

Yc6769



56.

Retro V 9.1.01

N.C.

V 17



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
Centimetres  
Inches

De Luminibus Ordinis Ictorum Lipsiens.  
18

PRO-CANCELLARIVS  
D.CHRISTOPH DONDORFF  
FACVLTATIS IVRIDICAE LIPSIENSIS SENIOR  
CVRIA PROVINC. IN INFERIORI LVSAT.  
ASSESSOR  
PROMOTIONEM  
DOCTORALEM  
SEPTEM  
JVRIS VTRIVSQVE  
LICENTIANDORVM  
INDICAT  
ET  
AD EANDEM D. IV. DECEMBER. AN. MDCCXXVIL  
CELEBRANDAM  
LECTOREM BENEVOLVM  
EA, QVA PAR EST,  
ANIMI CONTESTATIONE  
INVITAT. 18